

effectum, ac si super eis dicti praedecessoris litterae sub ipsius diei dato confectae fuissent prout superius enarratur, quodque praesentes litterae ad probandum plene statutum et voluntatem huiusmodi ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo omnino hominum etc. Si quis autem etc. Datum Romae apud sanctum Petrum III. Id. Novembris pontificatus nostri anno primo.

Jo. de Bortzow.

R^{ta} gratis.

T. Reseler.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Bleisiegel an Fäden von rother und gelber Seide.

No. 776. 1404. 11. Nov.

P. Innocentius VII., der die bereits von seinem Vorgänger beschlossene Anordnung der Feier des Erasmustages in den Kirchen der Meissner Diocese vollzogen, ertheilt gleichem Beschlusse gemäss denen, welche an benannten Festtagen die Erasmuscapelle auf dem Stolpen in Andacht besuchen und durch Gaben unterstützen, ausgedehnten Ablass.

Innocentius episcopus — venerabili fratri . . episcopo Misnensi salutem et apostolicam benedictionem. Rationi congruit etc. — wie No. 775 —. Nuper siquidem felicis recordationis Bonifacius papa VIII. praedecessor noster tuis, qui ut asserebas ad sanctum Erasmus martyrem et pontificem singularem devotionem gerens quandam capellam in honorem et sub vocabulo eiusdem sancti Erasmi et sanctae Barbarae virginis et martyris fundare et aedificare inceperas in castro Stolpen tuae diocesis, quam cum aliorum Christi fidelium elemosynis dotare proposueras, supplicationibus inclinatus videlicet III. Kal. Septembris pontificatus sui anno quinto decimo auctoritate apostolica statuit et voluit, festum eiusdem sancti Erasmi ad instar alicuius alterius martyris et pontificis festi celebris in ecclesia et civitate Misnensi ac dicta diocesi ab universis ecclesiarum praelatis et rectoribus ac personis ecclesiasticis quibuscunque secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis per ipsas civitatem et diocesim constitutis deinceps celebrandum, prout in nostris inde confectis litteris, cum dicti praedecessoris litterae eius superveniente obitu super statuto et voluntate huiusmodi confectae non fuerunt, plenius continetur. Et deinde idem praedecessor cupiens, ut dicta capella postquam consecrata foret a Christi fidelibus congruis honoribus frequentaretur et conservaretur, et ut fideles ipsi eo libentius causa devotionis post dictam consecrationem confluerent ad eandem et ad conservationem huiusmodi manus promptius porrigerent adiutrices, quo ex hoc ibidem dono coelestis gratiae uberius conspicerent se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisus omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in nativitatis circumcisionis epiphaniae resurrectionis ascensionis et corporis domini nostri Jhesu Christi, ac pentecostes necnon nativitatis annunciationis purificationis et assumptionis beatae Mariae virginis, et nativitatis beati Johannis baptistae et apostolorum Petri et Pauli, necnon sanctorum Erasmi et Barbarae praedictorum, ac ipsius capellae dedicationis festivitatibus, et in celebritate omnium sanctorum, necnon per ipsarum